





Eber  
Edel  
Ehrho  
Ehrma  
Ehrm  
Ehrm  
Elwe  
Emu  
Eng  
En  
Erh  
Er  
Et  
El  
Ey  
Ey

7 a





Q. D. B. V. 9  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO OBSTETRICALIS  
DE  
PARTU DIFFICILI  
ET  
PRÆTERNATURALI  
OB  
DEPRAVATUM FŒTUS SITUM  
CUM SUPPRESSIONE LOCHIORUM  
CONJUNCTO

QUAM  
ANNUENTE DIVINA GRATIA  
ATQUE  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE  
MEDICA

PRO LICENTIA  
GRADUM, HONORES ET PRIVILEGIA  
MEDICINÆ DOCTORIS

RITE IMPETRANDI  
IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
SOLENNITER DEFENDET  
IOHANN. FRID. ENGELHARD

LANDAVIENSIS ALSATA.

Die V. Maj. A. R. S. MDCCLXXIX.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Imprimebatur IN OFFICINA KÜRSNERIANA.





DEO,  
PATRIÆ,  
ATQUE  
AMICIS  
SACRUM.







## PRODROMUS.



Quum partum præternaturalem, ob iniquum foetus in utero situm, cum lochiorum suppressione commitatum, observandi casus mihi obvenerit, non abs re fore putavi si speciminis academici loco, præmissa hujus historia, in genere in causas, præternaturalem partum procreantes, tum in fontes quoque inquiram, unde perversa foetus in matrice sedes promanare solet, nec non de encheiresibus, quæ casui nostro arrident, pro re nata instituentis, præcipiam; tandemque quæ, de retentis lochiis dicenda, subjungam. Cum vero, non nisi de partu præternaturali, mihi scribere animus sit; hinc proprias partuum divisiones impune a

A



me omitti posse, duxi. Nolis autem B. L! nova expectare, nam quid Medicus TYRO ad scribendum valeret? Interim tamen, ut legibus academicis satisfaciam, hancce nunc per tractare, volui, quoad vires, & temporis angustia permittunt, materiam. Specimen itaque licet levioris momenti, fronte ut excipias serena, opto. Valeas!

**O**BSERVATIO, quam a Cl. JACQUEREZ Med. Doct. Nosocom. reg. militar. Argentinens. Medic. Extraordinar. Art. Obstetric. Viro Experientissimo, Amico estimatissimo, communicatam hic exhibeo.

Mulier quedam hujus urbis 34<sup>um</sup> annum agens, statura mediocris, ceterum corporis habitus robusti, prima vice setum in utero gerens, per noctem a die 12. ad 13. mensis Junii A. 1778. primis vexabatur partus doloribus, sub quibus annuos liquor jamjam effluerat; huic succurrenda cum aliis Artis Cultoribus, hora 5 matutina advocatus fui. Omnia itaque ut rite explorarem, manum admovi; sicque reperi partes molles, pelvim mediocriter amplam, nec vitiosam, uteri collum applanatum, posterioraque versus ita elatum, ut digiti ope vix ejus extremum attingere potuerim, aperturam orificii externam clausam, foetus vero partem, quaeque illa fuerit, praeviam, ob cervicis crassitiam accurate determinare, nondum li-



cebat. Dolores erant breves, atrocesque, in regione  
potissimum hypogastrica sevientes.

Hora 8. Paulo liberiori aditu nunc facto, cubi-  
tum infantis prævium offendi.

Hora 10. Sanguine e vena misso, & absque vio-  
lencia orificio diducto, fœtus capite regioni iliaca dex-  
trae, collo flexo, contortoque, insistebat, facie atque  
abdomine anteriora versus spectantibus, pedes autem  
uteri fundum contingebant; umbilicalis funis janjans  
flaccidus, pulsusque destitutus, propendebat. Tanta  
erat uteri constrictio, ut non nisi maxima opera pe-  
des attingere potuerim, quosque anteriora quidem ver-  
sus adduxi, nequaquam autem extrahere potui. Ac-  
cessit sic Cl. ROEDERERUS Med. Doct. & Art. Ob-  
stetric. Vir Experientissimus, & re probe perspecta,  
parturientem ita collocavit, ut a posterioribus, ad fœ-  
tum eliminandum via patret. Continua & perti-  
naciissima erant uteri constrictiones, ita, ut eosdem  
superare vix non desperaverimus; tandem autem totis  
collectis viribus, paulo ante meridiem, labor felicissi-  
me successit, pedibusque integra extracta fuit proles,  
quam & placenta mox sponte subsequabatur. Pera-  
cta nunc cum tanta violentia operatione, ut inflamma-  
tionem inde metuendam averteremus, statim potiunculam  
oleosam cum paucillo opiî maritatam, clysmata  
emollientia, prîsanam, semicupia, & fomenta, præ-  
scripsimus.



Circa vesperam, ægrota insignes patiebatur abdominis dolores, in consensum rapiebatur nervorum systema, horroreque contremiscebant artus, laboriosa fiebat respiratio, pulsus erat parvus, frequens, tensusque. Proponebatur semicupium, cui quoque immittebatur, sicque per semi horam permansit; lecto rursus tradita, quinque circiter horas tranquille per noctem dormivit.

Die subsequente, pulsus fere eundem ac pridie offendi, abdomen magis dolorificum, tumidum, attamen mollescens. V. S. fuerat repetita, & semicupium exhibitum.

Die tertio, abdomen subsidere cepit, minus nunc erat dolorificum, calor imminutus, pulsus naturalis; semicupio iterum fuit commissa. Interdum autem cum lectum reliquisset mulier, vespera, calore aucto, pulsuque pleno, iterum sanguis detrahebatur e vena.

Subsequentibus diebus, abdominis dolor, & intumescentia in totum jam disparuerant, cibum appetebat convalescens, & vires restaurari cœperunt, nondum autem lochia apparuerant. Ideo ad referendam obstructionem, medicamina idonea præscripturus, que autem cuncta a puerpera negligebantur.

Tres erant elapsæ hebdomades, quum sanguinis effluxum doloribus colicis stipatum experiebatur mulier,



quique vero eodem die iterum disparuit. *Mixtionem* *vin.* cum pipere empyrica cujusdam consilio propinatam, hujus suppressionis causam fuisse, non obscurum est.

Exacto mense, nonnullis paroxysmis tertianæ febris affligebatur mulier. Ducta leniter alvo, & exhibitis decoctionibus amaris, febris impetum leniuit. Sicque tandem convaluit. Attamen dolor quidam permansit, a femoris articulo surgens, juxtaque directionem nervi ischiatici ad genu usque sese extendens. Exploravi iterum, illumque reperi juxta majorem volumine, & ad tactum plus æquo sensilem. Continuavi medicamenta deobstruentia; sicque tandem matrix, ad pristinam suam redibat molem, & mulier penitus convaluit.

§. I.

**P**artus, ubi foetus non nisi arte e matris gremio eliciendus, præternaturalis, sive juxta Cl. ROEDERERUM<sup>a)</sup> artificialis salutatur. Multifariæ omnino adesse possunt circumstantiarum rationes, ex quibus ille nasci potest. Sic, modo male conformata pelvis diametri, modo gemelli improbe sita, coaliti, vel monstra, modo quoque ipsius foetus juxta licet proportionis perverfus situs, partum causari poterunt præternaturalem. Ultimum

A 3

<sup>a)</sup> Element. Art. Obstetric. pag. 97. §. 213.



præcipue vitium modo dictum, quippe quod casum nostrum attingit, tractandum nunc suscipio.

S. II.

Vario modo depravatum infantis situm peccare posse, & ita quoque partum mox graviolem, mox leviorem gignere, vel artis nostræ tyroni notum est; in hisce omnino rerum circumstantiis, vel matris, vel prolis, vel utriusque vita, nec non ipsius operatoris fama summe periclitantur. Quotiescunque itaque, pars quædam foetus prævia offertur, sit trunci, sit extremitatum, sit ipsius capitis, quæque ut viam naturalem legat, nimis aberrat, & ita non nisi infantis versione, ferramentorumve ope, in alium situm collocanda, toties partum ob vitiatam foetus sedem, præternaturalem mihi dicam. Refero hic nimirum valde intricatam, perversamque nascituri sedem, nostra in observatione delineatam, quæque atrocissimum sane obstaculum, nequaquam solis naturæ conaminibus, sed arte potius superandum, peperit. Tali quippe in statu, naturæ nixus ad partum perficiendum, frustraneos esse, irritatam simul ac lacessitam uteri molem, validissime in se invicem coire, sicque stimulo magis magisque adaucto, atrocissimas demum excitari uteri constrictiones, pronum est colligere; amnios quoque liquoris eruptionem nimis præcocem *b)*, huc symbolam suam non raro conferre, nemo est qui ignoret; hoc enim a prudenti, providaque ubique natura, haud incassum collecto, uterus simul & vagina *c)* irrorantur, lubricantur, atque re-

*b)* SMELLIE Traité des Accouchements Tom. 2. pag. 299.

*c)* vid. Illustr. v. Hall. Prim. lin. physiolog. §. 928.



laxantur, ut ita foetui nascituro eo facilius cedere queant.

§. III.

Inquirendum nunc est, quid operanti tentandum, si blandæ naturæ conamina foetum justo tempore excludendi, ob iniquum ejus situm frustranea sunt, ubi nimirum brachium prævium, caput, anteriora versus abdominis directæ facie, in coxendicem impactum, column contortum flexumque, reliquus truncus juxta axin uteri longitudinalem, abdomine antrorsum vergente, exporrectus, flexa ad ventrem femora, pedesque in uteri fundum conjecti; ubi insuper acerrimæ uteri constrictiones nasciturum tanta ferocitate compingunt, ut operatori via penitus præcludatur, simul & amnios liquoris præmaturum profluvium, partum adhuc gravio-rem reddit? Equidem saltem in hisce circumstantiis, omni festinatione eo allaborandum esse, centeo, ut obstaculum quod offertur, abs mora auferatur, & ita arte perficiatur, quod a natura frustra tentatur, ne vel parturientis, vel nascituri, si ejus adhuc supersit vita, periclitetur.

§. IV.

Duplicem huncce in finem operandi methodum in auxilium vocare solent obstetricantes, altera, qua foetus frustatim eximitur, alteraque, qua proles in pedes convertitur. Verum enimvero ob spatii angustiam, encheireses, quibus prior instituitur missurus, casus memor de infantis versione, ut pedibus extrahi queat, quoad vires permittunt, modo sermonem faciam.



Veteres quippe summopere attenderunt, num foetus adhuc vivus, vel autem emortuus fuerit; de vivo inquit HIPPOCRATES d). „Quicumque vero foetus vivo „manum, aut crus foras prae mittunt, aut etiam ambo, „eos oportet quam celerrime, ubi exitum significarunt, „retrudere, & in caput vertere, & ad viam reducere“; & alio in loco e): „quum vitali puero nascente, manus prae minuerit, etiam hanc repellis; ubi vero ambo „crura in propatulo manserint, neque alio processerint, „fomento uti opus est, a quo humectissimus uterus „reddatur“. Videtur ex hisce modo allegatis, Immortalem Artis nostrae Parentem, methodum, qua hodierni in pedes vertere solent, adhuc latuisse, quum non nisi ambobus cruribus simul praeviis, exitum nascituri sollicitandum esse, contenderit. Si porro emortuus fuerit foetus, aut crus aut manus protenderit, eodem modo, ac supra recensitum, in caput vertere monet; si autem fieri hoc nequit, modum, quo operantem excindere oportet, praecipit f). Maxime tamen interdum periculosa hancce nec non sanguinolentam, quam & ipsa parturiens non raro abhorret operationem, atque longioris morae incommoda, Venerandum Senem jam perspexisse, sequentia declarant g). „Si vero exciderit manus, aut crus foetus, rite divi- „gito, hoc enim optimum erit“. Aetium h), jamjam versionis commoda in pedes suo aetate percepisse, ar-

d) Lib. I. de morb. muliebr. pag. 721. Verf. Jan. CORNAR. Basil. 1554.

e) Libr. de Superfoet: pag. 134.

f) de morb. muliebr. Libr. I pag. 721.

g) l. c.

h) Tetrab. Quart. Sermon, IV. Cap. XXIV.



guunt hujus verba, dum dicit. „*Si caput foetus lo-*  
*cum obstruxerit, in pedes vertatur*“. CELSUS <sup>1)</sup>, cu-  
 rationem foetus emortui, qui per se excidere nequit,  
 inter difficillimas atque periculosissimas annumerari posse,  
 & ita summam prudentiam moderationemque desiderari,  
 perhibet, interea tamen circa operandi hancce metho-  
 dum sic præcipit <sup>k)</sup>: „*Medici vero propositum est,*  
*ut infantem manus dirigat vel in caput, vel etiam in*  
*pedes, si forte aliter compositus est. Ac si nihil aliud*  
*est, manus vel pes apprehensus corpus rectius reddit,*  
*nam manus in caput, pes in pedes eum vertit*“, &  
 porro: „*Sed in pedes quoque conversus infans, non*  
*difficulter extrahitur, namque his apprehensis, per*  
*ipsas manus commode educitur*“. FABRICIUS ab  
 AQUAPENDENTE <sup>l)</sup>, hanc operationem quoque cum  
 CELSO difficillimam statuit: „*Siquidem ego*“, ait  
 „*pluries hanc chirurgiam molitus sum, perpetuo in ea*  
*desudavi, tandem defessus, in foetu ad exitum præ-*  
*parando, ministro sæpe ultimam extractionem com-*  
*mittere coactus fui*“. Egregie omnino monet,  
 quod haud raro accidat, ut gravissimus sane & diffi-  
 cillimus labor, ad vertendum foetum, ut pedibus extrahi  
 queat, requiratur; interim tamen quum hæc operatio,  
 multo minus periculosa, cruenta atque horrida sit,  
 quam foetus in matrice dilaceratio, atque non raro cum  
 summo successu instituat, hinc sane huic præferen-  
 dam esse, vix ullus dubitabit.

## B

<sup>1)</sup> Vid. Libr. VII. cap. 86. pag. 577.

<sup>k)</sup> loc. cit.

<sup>l)</sup> Oper. Chirurgic. Cap. 86. pag. 577.



Quotiescunque igitur infans vel oblique, vel transversim *m*), in utero pelvique alias recte sese habentibus, situs, brachium vero, vel alia quæcunque justæ proportionis pars primum præcidit, atque ita obstaculum ponit, a natura non nisi cum summo periculo superandum, ante omnia tentet operator, ut versione facta, foetum pedibus extrahat. Quem in finem, in situm operationi maxime commodum parturientem locare, e re est; quo facto, manus in uteri os, illud dilatando *n*) sensim sensimque demittenda, foetumque inter & velamenta, si jam rupta, tempore dolorum intercalari *o*), ulterius progrediendum, infantis situs rite indagandus, inque vitam mortemve inquirendum; quibus omnibus cognitis, obstaculum oblatum removendum, pedesque infantis quærendi sunt, hinc prehensis diligentissime cavendum, ne funis umbilicalis, aliave corporis pars illis intersit *p*). Accidit quandoque, ut nascituri pedes in uteri fundo anteriora versus locati sint, quo in casu mulierem commode a posterioribus operandam esse, suadent *q*), uti & nosmet ipsi aliquoties jam experti sumus. Alterum horum apprehensum, si ambos una depromere haud licebit *r*), cunctando attrahere oportet obstetricantem,

*m*) ROEDER. libr. cit. pag. 260.

*n*) HENRRIC DEVENTER. Operat. chirurgic. Nov. Lum. Lugd. Batav. Cap. 47. pag. 227.

*o*) ROEDER. l. c.

*p*) l. c. lit. Z.

*q*) ROEDER. l. c. pag. 170.

*r*) de la Motte Traité des Accouch. pag. 714.



ut exeat, quo foras educto, linteo, quo firmiter teneatur, circumvoluto, & alterum simile modo ac priorem quaerit, atque in lucem depromere conatur. Tunc vero cautiorque illa, quoad potis est, nobis videtur encheiresis, qua ambo crura simul extrahuntur *s*), tunc enim non solum corpusculum suo exitui magis adaptatur, sed & ipsae extremitates, quae alias facillime implicari, irretiri, atque ipsa sub operatione vehementer laedi possunt, immunes servantur. Quod ut fiat, oportet medentem, habenam ex linteamine adaptatam, pedi primo prehensam, inque utero adhuc latenti ad calcem circumdare, quam dein extra corpus teneat minister *t*); quo facto, & in alterum inquirat, quemque arripere, sicque ambos una in lucem depromere, molitur; tuncque & ipsius corpusculi exitum ulterius promovere allaborat. Brachia, si fieri potest, simul & pedes ad prodeundum dirigit, sin aliter corpusculo ad scapulas circiter extracto *u*), extremitates sic collocat, ut manuum palmae ipsius temporibus incumbant *v*), hoc enim modo, spatio permeando magis accommodantur, ut & eo facilius extrahi queant. Enimvero ut caput, praepressis si grandiusculum esset, libere sequatur, naturam proxime imitari convenit; major itaque ejus diameter semper quoque majori pelvis diametro accommodanda, hinc facies foetus in inferiori pelvis apertura, nimirum os sacrum ver-

B 2

- 
- s*) ROED. I. c. pag. 260.  
*t*) DEVENTER L. c. pag. 229.  
*u*) I. c.  
*v*) DEVENT. L. c. pag. 230.





fus dirigenda, quod ut fiat, gyrando extrahendum. Multo sane faciliori negotio ipsa operatio perfici poterit, si obstetricans, statim ab initio praesens fuerit, quo velamenta vel ab ipsa natura rumpuntur, vel si hoc non sequitur, ab illo dilaceranda sunt; quippe tunc temporis uteri constrictiones nondum fortiores, liberiores manus aditum concedunt. Placenta, alias naturaliter constituta, sola uteri vi contractili, quam *RUYSCHIVS* *vv)* praecipue a fibris motricibus in fundo uteri positis derivat, levissima tantum funiculi agitatione adjuta, sponte subsequi solet; nec unquam, nisi vehementioribus symptomatibus, v. g. haemorrhagiis, convulsionibusve urgentibus, vi quadam extrahenda est. Sic doluit *RUYSCHIVS* *x)*, quod 50 annorum spatio, dum obstetricandi artem exercuisset, plures vidisset post partum felicem sanas & hilares, periisse, quod placenta rudius extraheretur. Nec mirum, quum observationibus constet, quod violenta talis extractio, tristissimas non raro post sese trahat sequelas. Ita *SWIETENIVS* monet *y)*; quod si rudiori tractione agitetur funiculus umbilicalis, non tantum uteri fundus possit inverti, sed quoque si placenta feliciter sequeretur subita & profusa fieret haemorrhagia, ac valde periculosa, nisi uterus statim se contrahendo, vaforum amplitudinem minueret.

§. VI.

Verum enim vero, si exituri foetus pedes in matricis fundum coniecti sunt, atque propter reliquum.

*w)* Advers. Anat. Dec. 3. Nro X. pag. 35.

*x)* Dec. 2. pag. 30. & seq.

*y)* Commentar. in Aphorism. H. BOERHAV. de cognoscend. & curand. morb. T. IV. pag. 572.



quod offertur impedimentum, folis naturæ viribus, proles legitimo enixus tempore, elidi nequit, uteri moles vi elastica simul & vitali 2) propria prædita, irritamento intus hærente semper temperque ad majores cietur<sup>a</sup> constrictiones a), tandemque in spasmos ruens, foetum tanta ferocitate compingit, ut manum introducere, pedesque arripere, vix non desperetur. Tentandum itaque hoc in casu est medico, ut nimis hancce adauctam irritabilitatem, & inde spasticas contractiones absque mora tollat, ne nascituri, si forte adhuc superstes, vita periclitetur. Quem in finem, larga sanguinis e vena detractio b) egregie conducit, hac enim fibrarum uteri nimis violenta strictura, hinc inde dum relaxatur c), leviori opera medenti via manum in eundem demittendi, conceditur; clysmata, quoque emolliendi scopo non incongrue applicantur, quippe quibus non solum intestinum rectum, si forte scybalis oneratum, depletur, sed uterus quoque eidem contiguus, eosdem emollientes, ac relaxantes effectus simul experitur. Annon opii usus quoque huc trahendus? Teste RŒDERERO omnino & tali in casu illius efficacia multum laudanda, ait nimirum d): „*Opiata caute ab experto exhibita, egregia sunt, spasmos videlicet doloribus contrarios, sedantia, & quiete inducãta resi-*

B 3

2) ROEDER. libr. cit. pag. 44 & seq.

a) ibid.

b) FRID. HOFFMAN. Med. rational. systemat. Tom. IV. Part. 3. Cap. 2. pag. 67. Venet. 1735.

c) De la Motte, l. c. pag. 414.

d) L. c. §. 331. pag. 147.



*cientia;* & alio in loco e) ad compescendos, partum retardantes, spasmos, parturienti opium exhibendum esse, monet. Annon aqua calida sub balnei forma, propter eximios & subitaneos, quos exerit relaxandi effectus, huc quoque in censum veniret? Sane videtur; & *Antiquissimum* HIPPOCRATEM hujus præstantiam eundem in finem jam observasse, notum est; & „quicumque,” inquit f) „complicantur, ad lateris molitudinem, aut coxam in partu collapsi; eos (fœtus) dirigere, acvertere oportet, & in aquam calidam desidere facere, donec mulier refocilletur.” Inter Recentiores autem FRID. HOFFMANNUS g) de remediis externis ad motus convulsivos sic præcipit „Tum vero omnibus præferri merentur balnea aquæ dulcis circa tempus invasionis usurpata.” Et mirandum omnino est, quod ob eorum hisce in circumstantiis eximiam virtutem, ab hodiernis non frequentius in usum trahantur, quam nulla alia, nisi quæ ab excedente calore frigore oriuntur, mala inde metuenda sint.

S. VII.

Hactenus de encheiresibus, prolem vitiose in utero hospitantem, solis naturæ viribus in lucem edi neciam, arte eliciendi, deque medendi methodo, ad mitigandas, compescendasque justo validiores uteri constrictiones, dicta sufficiant; liceat jam paucis, alterum dissertationis punctum tangere, sicque exponere, quæ de lochiorum suppressione dicenda supersunt.

e) ROEDER. libr. cit. §. 341. pag. 151.

f) Libr. I. de morb. muliebr. pag. 721.

g) L. c. pag. 73. §. XI.



Si uteri statum tempore puerperii, nec non mutationes, quæ statim post prolis exclusionem, juxta certas ratasque naturæ leges, in eodem fieri debent, bene perpendamus, sane haud mirabimur malorum lernam, quæ hisce silentibus, perturbatisve, exoriri solet, unde afflictæ mortales sæpe sæpius subitanea morte extinguuntur. Vasa enim uteri, tempore graviditatis, ad alendum intus contentum foetum, sanguine sunt repletissima, eodem autem cum placenta excluso, patula jam satis hiant in uteri cavum, sanguinemque suum nunc stillant, quodque profluvium, lochiorum nomine solet venire; si bene illud sese habet, plerumque biduo, triduo a partu, coccineum sanguinis colorem mutans pallefcit, simulque decrescit, ea nimirum in ratione, qua vasa & uterus paulatim sese contrahere nituntur, tunc enim feri instar modo depluit liquor, qui tandem vasis denuo coarctatis, vulnereque ita sanato, transfudare cessat, atque uteri cavum non nisi naturali humore iterum irroratur *h*). Hæc lochiorum excretio maximi sane est momenti, quippe quæ si variis ex causis turbatur, aut plane supprimitur, tota animalis œconomia pessime se habet. Id quod inter alias quæ hac de re prostant observationes, & casus quidam; qui præterita hyeme in hujus civitatis nosocomio civili accidit, evidentissime demonstrat; en paucis historiam: *muliercula, quæ partum ediderat naturalem leviter laboriosam, corripiebatur lochiorum suppressione, quæ autem idoneis & justo tempore propinatis, remediis feliciter apparuerant, ita, ut puerpera ab omni periculo*

*h*) Conf. FRANC. MAURICEAU Traité des malad. des femmes accouch. &c. Livr. III. pag. 411. Hall. libr. cit. pag. 544.



„se se nunc liberatam crediderit, eo autem dein tempore,  
 „quo multum transpirabat corpus, temere lectum reliquit  
 „imprudens, unde subito salutare illud purgamenti pro-  
 „fluvium depluere cessavit; diriora itaque quam antea  
 „surrexere symptomata, quibus nulla amplius ars, quip-  
 „pe corpus viribus jam nimis fuit exhaustum, medelam  
 „afferre valuit; sicque tandem spatio paucorum dierum  
 „rapiebatur ad plures. Cadavere cultro anatomico dis-  
 „secto, uteri parietes undique insigniter tumefacti, in-  
 „flammati, atque grumoso sanguine repletissimi reperie-  
 „bantur“. Cuncta hæc fieri posse, intellectu facillimum  
 „est, si modo perpendas, mirandum illum nervorum con-  
 „sensum, quem uterus alit cum reliquis corporis visceri-  
 „bus, unde ille male affectus, totam œconomiam anima-  
 „lem, in pessimum sui consortium, repenter rapere va-  
 „let. Arrident hic, quæ HELMONTIUS de utero retulit <sup>d)</sup>  
 „Nec enim uterus vaporibus tenuis, sed mero regiminis  
 „imperio, totam regit mulierem. Cum sit peregrini ho-  
 „spitis instar, a corpore non nisi alimentaliter dependens,  
 „prout viscus ab arbore, cui innascitur. Caterum ute-  
 „rus quadra vivit propria, nullumque sibi, præter anti-  
 „mi patremata, hostem novit. Qua propter non servit  
 „animæ; sed in importunum perturbationis animum,  
 „non secus atque in corpus, furioso sævit“. Adeo  
 „mirandum uteri imperium!

### §. VIII.

Ast a filo, quod sequi proposui, ne aberrem, in  
 causas jam inquiram, unde salutare illud lochiorum  
 pro-

<sup>d)</sup> vid. in Capit. de Asthm. & tuff. Nro. XIV & XV. pag. 231.  
 Venet. 1651.



profluvium stillare impeditur, imo & penitus supprimitur. „*Duplicem*“, ait SWIETENIUS *k)* „*hæc e lo-*  
*chiorum suppressio agnoscit causam, vel enim non*  
*deplunt in uteri cavum, vel in utero colliguntur nec*  
*exire possunt, si in grumos majores concreverint,*  
*aut exitus per uteri orificium, a quacunque causa im-*  
*pediatur*“. Posterius nimirum accidet, quando san-  
 guis iusto longius in uteri sinibus delituerit, sicque mora  
 spissior, pigriorque redditus fuerit, uteri vero contra-  
 ctiones non adeo validæ fuerint, ut stagnantes hosce  
 grumos eliminare potuerint, vel etiam ubi uteri orifi-  
 cium nimis constrictum, vel ejusdem perverfus fuerit  
 situs, vel etiam ipsa pudenda tempore puerperii con-  
 creverint *l)*; hoc modo omnino liber lochiorum exitus  
 impeditus erit. Prius autem eveniet ipsa uteri inflami-  
 natione; quum enim non raro in partu difficili con-  
 tingat, quod magna vis utero inferenda fuerit, nec non  
 caput infantis, mole justo majus, in transitu orificium  
 uteri contundat, imo & laceret, vel etiam a rudiori  
 placenta evulsione uteri substantia lædatur, quibus ni-  
 mirum cunctis uterus vehementer inflammari, vasa ejus-  
 dem subito claudi, sicque nobile hocce lochiorum pro-

C

*k)* Libr. cit. Tom. IV. pag. 614.

*l)* Talem concretionem, unde lochia suppressa fuere, HIPPOCRATEM observasse, ex sequentibus, colligere pronum est, ait nimirum Libr. I. de morb. muliebr. pag. 695. „*Quum*  
*mulieri puerperæ, purgatio non facile procedit velut uteris*  
*inflammatis, & osculo ipsorum concluso*“. Ab inflamma-  
 tione partes concretas fuisse, aliunde notum est. Hæc vero  
 lochiorum suppressionis causarum species, peculiarem quoque  
 requirit curam, nimirum Chirurgi manus.



fluvium impediri, poterit. Id quod præter innumera alia exempla, & nostra observatio evidenter demonstrat. Accidit quoque sæpe sæpius, quod & varii in diæta commissi errores, inter quos præcipue subitum frigus, superficiei corporis transpiranti admissum, in censum venit, hujus mali tristissimi fontes evadunt, quo quippe vasa uterina subito stringuntur, inflammantur, simulque laudabilis hæcce excretio, cum summa puerperæ pernicie supprimitur, evincit hoc inter alia & lugubris ille casus, qui accidit in nostro xenodochio, modo allegatus.

§. IX.

In tali nunc rerum circumstantia, ubi præcipue fœtus maxima cum vi fuerat extrahendus, nec non, ubi varia a puerpera diæta vitia commissa, vel & medici præcepta neglecta fuere, sicque lochiorum retentio & inde excitata symptomata suborta, magna omnino cum prudentia, summaque cautela, procedendum est medico. Quam primum igitur, signa animadverterit lochiorum suppressionis, in causam status hujus morborum, omni data opera inquirere, atque probe dijudicare debet, num uterum jamjam inflammatio teneat, num autem illa brevi pertimescenda sit; quippe nimis cunctando, mulierem in certissimam conjiceret mortem. Constat enim certis & innumeris observatis, talem uteri inflammationem, quando non statim ab initio tentetur blanda ejus resolutio, quam sæpius abire in suppurationem, scirrhum, cancrum, gangrænam atque sphacelum *m*); non raro quoque omnes encephali functiones

*m*) tales casus lectu sane dignissimos, prostant, in V. SWIET. libr. & Tom. cit. pag. 621. & anteced.



inde adeo turbantur & opprimuntur, ut mors sequatur, antequam varii inflammationis exitus locum habere possint n). Nec quoque diagnosis hujus mali adeo difficilis. Sic jam HIPPOCRATES o) præcepit, „si ex partu uterus fuerit inflammatus, tunc febris debilis corpus tenet, & caligo adest. Ex ventre vero nunquam deficit calor, & sitit, & coxa dolet, & venter imus fortiter intumescit, & alvus turbatur. Secessus autem est malus & olidus, & calor vehemens corripit, & cibum averfatur, & dolor juxta synciput est, & ventris stomachus non potest trahere cibos & potus, & concoquere nequit, & nisi curentur statim, plurima moriuntur”. Apud ÆTIUM p), præter generalia uteri inflammati signa, enumerantur & illa, quibus diversa illius loca inflammata dignosci possunt. Sic si uteri cavum, aut fundus fuerint inflammata, „summum dolorem“ adesse, monet, ut sapius nec exterius quidem tangi patiatur mulier. Si posteriorem uteri partem occupet inflammatio, „dolor lumbos magis vexabit, durique stercoris excrementa detinebuntur, quoniam intestinum rectum opprimetur“. Si anterior & inferior regio uteri inflammatur, „urina aderit difficultas ob similem rationem“. Si obliqua loca occupaverit, „inguina extenduntur, & crura difficulter moventur.“

C 2

n) ibid. pag. 620.

o) de morb. muliebr. L. I. pag. 704.

p) Tetrab. Quart. Sermon. IV. Cap. 83.



## S. X.

Statim itaque post violentum partum, ubi uteri inflammatio, simul & lochiorum suppressio omni jure pertimescenda sunt, prudentis Medici est idoneis occurrere remediis, antequam inflammationi, tristissimas suas ludendi tragœdias, tempus concedatur. Quem in finem, statim post peractam operationem, medicamenta lenientia atque relaxantia puerperæ sunt imperanda. Vena, si pulsus celeritas inter parturientum suborta, prima a partu hora est secanda *q)*. Hisce quippe remediis, sanguinis ab ipsis laboribus, & operatione nimis exæstuati velocior circuitus, temperatur, ut ita minori nunc impetu quoque in partes adfectas ruat, sicque non solum malis, ab operationis incommodis, matrici, partibusque vicinis illatis, optime prævenire valebimus, sed & uterus, ad promovenda lochia perinde sic disponitur, ut libere sese nunc exonerare queat. Quodsi vero, hisce non prohibentibus remediis uterinus sanguis tamen erumpere impeditur, in grumos quippe redactus, uteri orificium obturantes, illi sola manu educendi sunt, si uteri orificium adhuc patulum sit, vel absque vi adhibita dilatari commode possit, neque emenagoga, & sic dicta ecbolica medicamenta valida propinanda, quæ methodus certe periculosa esset, cum omnia talia remedia stimulantia atque calida sint, quæ recens enixis minime conducunt *r)*. Jussit MOSCHION *s)*, ut puerpera decumbat, modice

*q)* V. SWIET l. c. pag. 616.

*r)* l. c. pag. 585.

*s)* Vid. ISRAEL. SPACH. Harmon. Cynæcior. Part. Pr. Cap. XVII. Nro. 1. Argent. 1597.



diductis pedibus, ut quidquid ex ea exire cœperit, non impediatur; ne nempe, femoribus adductis, grumis impleatur vagina, sicque liber lochiorum exitus ex utero prohibeatur. Quodsi vero commode hæc educi nequeant, metus est, ne aëris accessu putrescant, sicque utero noceant, vel & resorpto putrido, febris mali moris accendatur, antequam hæc in utero relicta sponte prodeant. Cl. RECOLIN<sup>t)</sup>, tentavit in tali casu, per siphonem aquam injicere in uteri cavum; quodque cum absque ulla violentia fieri possit, utile quoque & tutum videtur, uti ex experimentis ibi allegatis, patet. Verum quidem est, quod hæc injectio aquæ calidæ in uterum, instituta fuerit in fœminis abortum passis, in quo casu placentæ sæpissime retinentur, & adeo teneræ sunt, ut pars prominens statim abrumatur, si tentetur protractio; sed nulla videtur esse ratio, quare non idem tentetur, si post partum maturi fœtus placentæ pars, vel grumi sanguinis in utero retenta fuerint; licet autem sæpius statim non sequantur, tamen hoc commodum inde habetur, quod putredo sic eluatur, atque diuturnior horum in utero mora minus sit periculosa. Tuto autem repeti poterit hæc injectio, & præferenda semper videtur violentæ orificii dilatationi. Præter has recensitas encheireses, sane & semicupia ex aqua calida, huc in casum traherentur, quippe quod remedium adhuc minus irritans, valdeque blandum, non solum prædicto in casu, ubi sanguinis thrombo uteri os obstruitur, exhiberi poterit, sed quoque in spastica hujus constrictione, lo-

C 3

t) Memoires de l'academ. Roy. de Chirurg. Tom III, pag. 202  
 & seq. Paris 1757.



chiorum exitum præcludentis, nec non in ipsa uteri inflammatione præprimis ab initio; quibus cunctis in circumstantiis egregie conducere semicupia, & nosmet ipsi locupletissimis testari possumus observationibus. Nec ullus mirabitur, qui modo perpendet, quanta vis emolliendi ac relaxandi *u)* sit aquæ calidæ, reorberetur quoque non exigua hujus quantitas *v)*, a vasis bibulis, per omnem corporis superficiem abunde disseminatis, patulisque, unde non solum spasmo occlusum uteri orificium, atque constricta uterina vasa, prorsus alveo, stillare sinunt sanguinem, sed etiam hic in grumos coactus perinde diluitur, ut eo melius eliminari queat. Observatur porro sæpius in puerperis, ita valide constringi uteri os, ut non nisi vi diduci possit, quo grumi vel secundinarum reliquæ eximantur; tali in casu asseverat SWIETENIUS *w)*, opio prudenter dato, omnes dolores siluisse, & post paccatum somnum grumos concreti sanguinis sponte exivisse, & quidem abs ulla molestia. Quod si vero uteri oris per versus situs, vel pudenda concreta lochiorum retentorum causæ fuerint, curandum est operatori, ut matricis orificium ita dirigat, quo in linea directa vaginæ ostio respondeat; alterum vero vitium absolute requirit scalpellum, curabiturque instituta diæresi, qua, hiatus perficiatur sat amplus, ut ita lochia libere prorumpere queant. Vulnus inflictum pertractandum est mo-

*u)* Vid. ILLUSTR. PRÆCEPT. SPIELMANN. Mat. med. pag. 189 & 449.

*v)* l. c. pag. 190. juxta experimenta ad stateram a Cl. Martyni capta.

*w)* libr. & Tom. cit. pag. 587.



do, quo præternaturaliter coalita, ars tractare docet, sicque servandus hiatus fati latus. Si autem lochiorum retentio, a commissis diætæ erroribus suborta fuerit, prudens medicus, & hicce suam medendi methodum, eo dirigere valebit, ut, integris adhuc puerperæ viribus, malum hocce superet. Verum enimvero si inflammatio jamjam matricem occupat, tunc omnino uti supra jam innuimus, periculum in mora. Recens enim si illa adhuc fuerit, tentari poterit resolutio, tollendo nimirum nimiam illam vasorum extensionem, atque solvendo concretum immeabile vascula obstruens. Impetus itaque sanguinis a tergo venientis minuendus erit repetitis V. S. atque lenioribus alvi purgationibus, qualia cura antiphlogistica requirit; revelendus simul in alias partes; nam minuta resistentia in quodam corporis loco, sanguis majori impetu & copia eo versus derivatur; sedandus insuper est impetus in ipso loco, relaxando nimirum vasa obstructa, ut sic per ultimos suos fines in venas immeabiles moleculas iterum transmittant, diluendo simul atque attenuando ipsum sanguinem, ut hoc modo nobile illud lochiorum profluvium, in salutem ægrotae restituatur.

## §. XI.

Accidit nonnunquam, equidem rarioris fortunæ exemplo, ut per alium, quam naturaliter fieri solet, hiatus, lochia blandæ naturæ moliminibus, e corpore eliminantur, sicque saluberrima crisi, puerpera pessimorum evadat malorum seriem. Inter alios, & SWIETENIOX) præcipue videre contigit, excretionem

x) libr. & Tom. cit. pag. 613.



per alvum exivisse. Alvi<sup>m</sup> ait „perturbatio, per quam, non-  
 dum omnino fractis viribus, expellitur illud corruptum,  
 salutaris est; verum ubi, diutius protracto malo,  
 „nes fere corporis humores in putrilaginem soluti sunt,  
 „tunc vehementi alvi profluvio perire solent;” & por-  
 ro: „Probe memini, cum puerperæ, gemellos enixa, curam  
 „gererem, me pessime exceptum fuisse ab adsstantibus, dum  
 „nollem alvi fluxum compefcere. Tertia die, lochia  
 „omnino suppressa fuerant, venter durus & dolens  
 „erat. Mollissimis fomentis adhibitis, lenissimis aperien-  
 „tibus decoctis copiose potatis, per alvum exiverunt vi-  
 „ridia, fetidissima, & quidem cum insigni levamine;  
 „ac brevi convaleuit.

Cuncta hæc luculentissime demonstrant, nequaquam  
 omne alvi profluvium in puerperio timendum esse,  
 sed quandoque laudandæ naturæ molimina eo niti, ut  
 peregrina ac corpori inimica materies ex eo ejiciatur,  
 antequam lugubres suas noxas penitus exferere valeat.  
 Interim tamen probe attendendum esse censeo, num  
 talis excretio salvis & integris naturæ viribus fiat, num  
 e contrario fractis, exantlatisque, ne medicus falsissi-  
 mum prognosticon ferendo, periculum famæ suæ in-  
 curret; sicque dum ægrotantem jam liberatam autumat,  
 paucis horis, eandem tristissimo suo ac inevitabili fa-  
 to succumbere videat.

## S. XII.

Ipsa denique lochia retenta, mora transmutata  
 acrioraque reddita, a vasis uterinis resorpta, & dein  
 ad



ad varia viscera delata y), varios rursus morbos metastaticos, ratione partis adfectæ plus minusve exitiosos creare, innumera testantur Autorum observata. Inter hæc & hic omnino allegari merentur, quæ SWIETENIUS z) recenset, & apud TARGIONI TOZZETI a) reperiunda, ubi puerpera ob lochia retenta, apoplectica interiit, & aperto cadavere, pericranium, calvaria, ac dura mater læsa reperiabantur. Idem alia in puerpera b), post suppressa lochia quoque apoplectica extincta, & post mortem cultro anatomico dissecta, offendebantur lochia per metastasin lethalem ad capitis interiora delata. Nec est cur mireris, dummodo perpendas, purgamenta mora mutata, tanquam heterogenea resorpta, inque parte quadam corporis nunc latentia non posse non sanos inficere humores, sicque varia omnino creare diriora symptomata. Cuncta nunc hæc mala eradicantur sponte, radice mali excisa, inquit IMMORTALIS BÆRHAVIUS c). Cum enim omnes hi metastatici morbi, a suppresso puerperii purgamento, suos natales duxerint, sponte patet, hisce redeuntibus & omnem malorum fomitem una extingui. Tolle enim causam, sic & ipsum morbum tolles. Qua autem ratione id fiat, dictum est.

## D

- 
- y) V. SWIET. l. & T. cit. pag. 617.  
 z) l. c. pag. 617. & seqq.  
 a) Raccolte di osservazione Mediche pag. 92.  
 b) ibid.  
 c) Aphorism. de Cognoscend. & curand. morb. §. 1330.



## §. XIII.

Verum enimvero si viscerum fabrica a lochiis, per metastasin depositis, multum læsa fuerit, redeuntibus postea hisce, non integra semper sequetur sanitas, sed quarundam actionum non raro manebit vitium, & quandoque per omnem vitam superstes, prout SYDENHAMUS d) asseverat, ait nimirum: „nonnunquam enim „phrenesi laborant ex hac occasione, qua in dies efferacior „reddita spasmos primum, dein mortem, insert: Si „vero mortem evadant, mitius aliquando insaniant, „quandoque ad ultimum vitæ terminum;“ idem quoque testatur SWIETENIUS e).

Ex hisce itaque clare elucescit, tunc tantum sequi integram sanitatem, redeuntibus lochiis prius suppressis, si nempe cito hoc fiat, & nullum viscus adeo insigniter læsum fuerit per lochiorum metastasin, ut ejus perinde fabrica, functionesque, destrui potuerint. Tali nunc in casu, ubi viscus quoddam a metastatica lochiorum materie correptum fuerit, corpus vero cæteroque nulla alia labe afflictum tenetur, speranda adhuc est pristina valetudo, quando nimirum talia adhibentur remedia, quibus, solida roborare, obstructa referare, materiemque peccantem atque vitiosam simul e corpore eliminare, valeamus.

d) Vid. Oper. medic. Tom. I. dissertat. epistolar. pag. 431. Genev. 1716.

e) Lib. & Tom. cit. pag. 624.

T A N T V M.



# THESES.

## I.

Falsa est illa opinio, quod nervus magnus sympathicus, ortum ducat a quinto, & sexto pari medullæ oblongatæ; communicare vero cum his, certo certius est.

## II.

Villi canalis intestinalis, vi vitæ sugunt, nec cum canalicularibus physicorum comparari possunt, quippe post mortem agere cessant.

## III.

Nervi non possunt tendi, quippe non habent punctum fixum.

## IV.

Iris propriis gaudet fibris muscularibus, quibus pupilla dilatari, atque stringi valet, licet ob insignem tenacitatem sub oculos non cadant.

## V.

Oculi involucra, a tunicis nervi optici minime proveniunt, argumento scleroticæ, quæ multo crassior est duræ matris lamina; choroideæ, quæ innumeris gaudet vasculis, quibus arachnoidea plane destituta est.

## VI.

Vis ventriculi inquilina, multo validius agit in contenta, illa muscutorum abdominalium.

## VII.

Inflammationis sedes duplex est, in principio hujus, residet in minimis vasculis alias decoloribus, postea autem in textu celluloso.



VIII.

Quod in variis organis, varia fecernantur liquida, videtur in variis vasorum directionibus, angulis, & diametris positum esse.

IX.

Ingesta utique in ventriculo fermentationis experiuntur initium, ne autem illa ad finem usque perdatur, provide prospexit natura.

X.

Camphoræ vis sopiens, omnino a virtute illius refrigerante derivanda erit.

XI.

Calcis vivæ qualitas caustica, non debetur principio acido, neque hoc recte ab igne arcessitur.

XII.

Solanum nigrum nullas vires possidet narcoticas.

XIII.

Non omne alcali ex acido surgit.

XIV.

Caput foetus incuneatum forcipe extrahendum.

XV.

Rubor sanguinis, a principio inflammabili, simul & terra martiali dependere videtur.





Argentoratenses, Med. Diss., 6  
= Straßburg

Herde-Eyting

ULB Halle

003 714 942

3




VD18  
VD18











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Q. D. B. V. 9

RTATIO INAUGURALIS  
DICO OBSTETRICALIS  
DE  
TU DIFFICILI  
ET  
TERNATURALI  
OB  
VATUM FOTUS SITUM  
PPRESSIONE LOCHIORUM  
CONJUNCTO  
QUAM  
NUENTE DIVINA GRATIA  
ATQUE  
IENTE GRATIOSA FACULTATE  
MEDICA  
PRO LICENTIA  
, HONORES ET PRIVILEGIA  
ICINÆ DOCTORIS  
RITE IMPETRANDI  
RGENTORATIENSIS UNIVERSITATE  
SOLENNITER DEPENDET  
FRID. ENGELHARD  
LANDAVIENSIS ALSATA.  
V. Maj. A. R. S. MDCCLXXIX.  
H. L. Q. C.  
ARGENTORATI  
atur IN OFFICINA KÜRSNERIANA.

